



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 134. Retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & senioribus. v.
3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

conscientiaque & omnia mala eliminatis cunctis bonis tumultuari videntur fera æstimatione cuncta in maius efferente supra ipsam mundi magnitudinem.

O Christe hominum redemptor, quam grande est tormentum conscientia sceleribus inquinata, imo vel uno crimine deturpata! certe omnia mundi monstra non sunt monstra comparatione illius, malum ingens, horrendum, infandum! & quid erit, si quis in inferno talium monstrorū milliones aspicere cogatur? vere bene dictum est, à quibusdam DD. quod conscientia magis damnatos affligat, quam ipsi dolores infernalis ignis, & ideo fortasse ita tenebras amant damnari quo monstrositas hæc sua lateat, nec ipsi eam in luce intueri cogantur. O lucis creator optime aspice me, & aspiciendo corrige me, ut semper filius lucis esse velim, & non cum Iuda in tenebras primum, deinde in tam enormem cruciatum me conijciam.

S. 134. *Retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & senioribus. v. 3.*

Vulgare dictum est, Res aliena clamat ad Dominum, nec tantum ad hominem qui eam prius possidebat, sed multo valentius ad Deum, teste S. Iacobo, ubi ait, *Ecce merces operariorum, qua fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiit.* Non temerè positum est, in aures Domini Sabaoth id est exercituum, quo scias non defuturos illi satellites, si priuatus es: exercitus si princeps, quibus & rem quam occupasti Domino reddat, & te in ius ad suam tribunal trahat. denique tantus est rei clamoralienæ, ut eum ne Iudæ quidem conscientia ferre potuerit, quin statim argenteos male quæsitos referret, & cum non reciperentur, in templo proijceret: atque is quidem non tam male partam pecuniam Dominis restituit, quam factum infectum reddere voluit, & animo turbato qua via alia, se scelere tanto exonerare posset, non vidit. Nam quia scelus suum venderat, pecuniam abominabili lucro suam fecerat quare & agrum quem ex illa emere Iudæi, B. Petrus merito ait Iudæ fuisse, licet is nunquam eum emerit, nunquam eo frui potuerit. *Possedit, inquit, agrum de mercede iniquitatis.* Tam gravis est pecunia male quæsitæ, ut etiam si ea iam parra sit, & in possessionem veram propriamque transuerit, nemo tamen eam ferre, nec Iudas nec templum, nec sacerdotes omnes simul potuerint. Quis ergo non eos Iudæ peiores esse dicat, qui rerum quarum nunquam nec jure, nec virtute Domini effecti sunt, occupatam semel possessionem dimittere cunctantur.

Domine si tam periculosa res est habere pecuniam propriam, scelere partam quid erit habere cum scelere rem alienam? obsecro ergo etiam
atque

atque etiam ne quid possideam unquam de mammona iniquitatis, aut red-
dam statim cum cognouero, & quidem cum Zachæo potius quadruplum,
ne ideo puniendus reseruet in futuro, aut si læsi quempiam sine in fama sine
bonis fortunæ pœnitenti corde & humiliato restituam, & veniam deprecet
in tempore, ne clamor eorum veniat ad aures Domini Sabaoth me accu-
sans de iniustitia facta, & iniuria, meque tandem conscientia mea reum ac-
cuset & condemnet.

§. 135. *Peccavi, tradens sanguinem iustum. v. 4.*

Ecce pœnitentia, Ecce confessio, Ecce causa mouens pœnitentiæ tra-
dens sanguinem iustum; omnia bene, omnia sanctè, si ex corde vere contrito
& humiliato processisset hæc confessio verbum *peccavi*, si vere voluisset Iudas
non fecisse, quod fecit, ex corde sincero erga Deum solum, cumq; offensum,
certe actus contritionis, restitutionis & confessionis fuisset celeberrimus: sed
non fuit pœnitentiæ ex corde sincero & contrito de offenso Deo, magis vero
subdola, se, & sui utilitatem, & conseruationem & honorem intendens: alias
impossibile puto fuisse quin accepisset gratiam & misericordiam, veniamq;
omnium scelerum ab eo qui nos omnes quotidie vocat ad pœnitentiam,
clamore valido per semetipsum, per Prophetas suos & Apostolos dicens:
Matt. 11. 8. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.* Et
Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum eius non recordabor am-
plius, visio ego nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat.* Et Matth. 4. *Pœ-
nitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, & cum comminatione
quidem, nisi pœnitentiam, hoc est, veram ut decet Christianam hominem,
dignamque egeritis, omnes simul peribitis.*

Quia ergo Iudas Ischariotes pœnitentiam quidem egit, & non secun-
dum quod decet verum pœnitentem, ex motiuo scilicet supernaturali,
de offenso Deo, & cum spe veniæ, ideo periit & æternum periit.

O Verax hominū amator qui neminem vis perire, sed conuertere omnes
& ad veritatis agnitionem venire: obsecro te ex intimis cordis mei, re-
spice me oculis misericordiæ (sicut respexisti Petrū, Magdalenam, Matthæ-
um, pluresque alios quos fortiter valde à via iniquitatis abstractos ad singu-
larem tuam pertraxisti dilectionem,) ut radij diuinæ lucis tuæ, in obscurum
animæ meæ fundum lucere queant, ut sic immensam vilitatem, vitiositatem,
peccatorum immensitatem, perspicuè cognoscam, adeoque in proprijs o-
culis nihili fiam, & tam me profunde humiliem coram te & hominibus un-
uersis, quam & mihi possibile & tibi gratum ac placitum est, tantam tamque
veram pœnitentiam ob te solum offensum agam quotidie, cum tanta sub-